

Q. 4147

Π i
652

EPHORO SVO MAGNIFICO
VIRO

SANCTITATE MVNERVM ET MERITORVM GRAVITATE
SVMME VENERABILI

DOMINO

VALENTINO ERNESTO
LOESCHERO

SS. THEOLOGIAE DOCTORI CELEBERRIMO
SENATVS SANCTI QVI AVCTORITATE REGIAREBVS
CAVSSISQVE SACRIS PROVIDET PATRI CONSCRIPTO
SACRORVM QVAE DRESDAE ET IN AGRO ATTRIBVTO FIVNT
ITEMQVE SCHOLARVM ANTISTITI GRAVISSIMO

MEMORIAM SAECVLAREM

ANTE QVINQVAGINTA ANNOS SVSCEPTI
MVNERIS PRAESVLIS SACRORVM

EA QVA DECET OBSERVANTIA
GRATVLANTVR
PAVCA QVAEDAM
DE

APOSTOLIS ET CARMINIBVS
APOSTOLICIS

EX ANTIQVITATE GRAECA
PRAEFATI

COLLEGAE SCHOLAE SENATORIAE
NOVAE VRBIS PROPE DRES DAM.

DRESDAE IN OFFICINA HARPETERIANA



LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF CHICAGO

1914

THE UNIVERSITY OF CHICAGO
LIBRARY





*VIR MAGNIFICE, ET SVMME REVERENDE,
DOMINE AC EPHORE PERREVERENTER
COLENDE,*

GAudia saecularia, praemium illud uirtutis egregiae, quibus TE iam perfrui, prouidentiae diuinae debemus, tantae omnibus, qui TE norunt, (at quis non nouit?) uoluptati sunt, ut TIBI ea ex animo gratulentur. Quam ob rem nos incuriae, neglectique officii, merito accusaremur, nos, inquam, quibus, in TE, TVAque merita, uelut praesentibus, intueri, contingit, nos, quos muneris nobis amica ratio mihi TVO patrocinio credidit, nos, in quos singulos tot TVAE extant beneuolentiae, curae, fideique documenta, nisi TECum, ac de TE, iuste lactantibus accederemus. Des igitur, ANTISTES GRA-

A 2

VIS-

VISSIME, nostrae hoc in TE pietati, ut laetitiae ingenuae indicium faciamus publicum, et, TE hac occasione, tanquam uirum *Apostolicum*, ueneraturi, commentationem de *Apostolis*, et *Carminibus Apostolicis*, *Graecorum* oculis TVIS, TVOque iudicio, ea, qua par est, reuerentia subiiciamus!

Apostolum uocem esse originis *Graecae*, multiplicisque significationis, neminem fugit, nisi *Graecarum* litterarum plane ignarum. Nec tamen in exponendis omnibus illius uocis significationibus nostra iam uersabitur opera, sed eam tantum paullo accuratius nunc commentabimur, cuius origo e re nautica *Graecorum* repetenda est. Insigniebant enim potissimum *Athenienses* hoc nomine tum res, tum uiros, ad classem pertinentes. Eos ipsam classem uocasse *Apostolum*, praeter ea *Graecorum* testimonia, quae BVDAEVS, STEPHANVS, alique recentiores *Graecarum* uocum formularumque, conditores, et interpretes, in suos commentarios retulerunt, auctoritates HARPOCRATIONIS (a), IULII POLLICIS (b), et VLPIANI (c), probatissimi DEMOSTHENIS explanatoris, comprobant. Quod autem linguis fere omnibus commune est, ut rerum nomina ad illos saepissime transferantur, qui eas curant, tractant, aut administrant, illud quoque uoci *Apostolus*, *Apostolum* appellarunt *Athenienses*. Licet enim EZECHIEL SPANHEMIVS

- (a) In *Lexico*, sub uoce Ἀπόσολος: Ἀπόσολοι, αἱ τῶν νεῶν ἐμπομπαί. Ὅντω Δημοδίνης ἐν πρώτῳ Φιλιππηκῶν. Eadem habet SVIDAS sub uoce Ἀπόσολος. (b) In *Onomastico L. I. Cap. VIII. Segm. 96. p. 67*: Ὁ δὲ στόλος καλεῖται καὶ ἀπόσολος. (c) Ad DEMOSTHENIS *Olynthiac. Orat. III.* Ἀπόσολον ἤγεν στόλον. Ἀπόσολον γὰρ ἐκούσεν οἱ Ἀθηναῖοι καὶ πᾶσαν τὴν παρ' αὐτῶν περμπομένην δύναμιν τοξοτῶν, ὀπλιτῶν, ἰππέων, τῶν ἄλλων ἐξαιρέτως δὲ τὴν ναυτικὴν δύναμιν.

MIVS (d) non sine causa dubitet, eius significationis exemplum ex scriptoribus *Atticis*, qui aetatem tulerunt, produci posse, extat tamen testimonium HESYCHII (e), cui ad locum quendam DEMOSTHENIS, in quo uox *Apostoli* occurrit, non eius modo interpretes, VLPIANVS (f), sed et ipsa significatio uocis *Epistoleos*, utpote praefecti classium legati (g), suffragatur. Idem HESYCHIVS (h) aequae, ac HARPOCRATION (i), et IULIVS POLLVX (k), etiam *Apostoleon* meminit, magistratus ab *Apostolis* ita diuersi, ut ille totius rei nauticae curam sibi demandatam habuerit, quum hi in classe fuerint cum imperio. Si itaque *Apostolus* et classem, et classis praefectum, significat, quicquid ad classem, nauticamque rem, pertinet, *Apostolici* nomine notari posse, quis non intelligit? Facile quidem largimur, hanc ipsam uocem frequenter non occurrere, nihilo minus ita occurrit, ut, quid *carmen Apostolicum* fuerit, definire audeamus. *Modos* nimirum *Apostolicos* memoratos legimus ab ATHENAEO (l). ISAACVS CA-

A 3

SAV-

(d) In *Observat. ad IULIANI Imperat. Orat. I, p. 265.* (e) In *Lexico* sub uoce Ἀπόσολος. Στρατηγός κατὰ πλὴν πεμπόμενος. (f) Ad *Philippic. I.* Ἀπόσολος ὁ μετὰ στρατιῶς ἀποσελλόμενος εἰς πόλεμον παρασκευής. Eadem quoque tradit SVIDAS. (g) IULIVS POLLVX in *Onomast. L. I. Cap. VIII. Segm. 96. p. 67:* Ἐπιστολεὺς, ὁ ἐπὶ τῆς εἰλῆς διάδοχος τῆς ναυάρχου. (h) Sub uoce Ἀποσολεύς. Ἀποσολεύς, τὰ πρὸς πλὴν παρασκευάζων τοῖς πλέεσιν ἀποσελλόμενος ἀπὸ εἰλῶν τῶν διὰ θαλάσσης. (i) Sub uoce Ἀποσολεῖς. Ἀποσολεῖς οἱ ἐπὶ τῆς ἐκπομπῆς τῶν τριῶν ἀποδεσγμένοι. Δημοδένης ὑπὲρ Κτησιφάντων. (k) In *Onomast. L. VIII. Cap. VIII. Segm. 99. p. 917:* Ἀποσολεῖς οἱ προεόμενοι τῆς ἀποσολῆς καὶ τῆς ἐκπλῆς τῶν τριῶν. Conf CAROLVS SIGONIVS de *Republ. Atheniens. L. III. Cap. III. p. 1598. operum GRONOVII Volum. V.* (l) *Dipnosorbist. L. XIII. p. 631:* Βέλτιςτοι δὲ εἰσι τῶν τρέπων ἔτινες καὶ ἀρχέονται. Εἰσι δὲ οἶδε προσωδιακοὶ, ἀποσολικοὶ. Ὅντοι δὲ καὶ παρθένιοι καλεῖνται, καὶ οἱ τέτοις ὅμοιοι.

SAVBONVS (m), interpretaturus haec ATHENAEI uerba: *Apostolicus*, inquit, *modus*, quod ex ipso nomine licet conicere, is est, qui conuenit Apostolis et Apostoleusi, quae erant apud Graecos praefecturae nauticae uocabula. Quae quidem interpretatio tam obscura uisa est BLONDELLO, ut scribat (n): *Quod ita intelligo, fuisse Apostolica, quae cantabantur inter ornandam classem, quum milites naues conscenderent.* Cum quo fere consentit IACOBVS DALECHAMPIVS: *In apparatu classis, inquit (o), et expeditionis maritimae, illis utebantur, praesertim quum soluerent e portu.* Liceat nobis disquirere, qua ueri similitudine hi uiri alioqui doctissimi ita existimauerint, quum ipsi caussas suas tacuerint! Ipsa uox *modi*, (p), qua ATHENAEVS utitur, indicio est, de concentu musico hoc loco agi. Idem magis confirmatur, dum hi *modi saltati* uocantur, siquidem, ad concentum musicum *Graecos saltasse*, inter omnes constat. Quod si tum ipsa nomina, quibus *Graeci saltationes* insigniuerunt, tum harum descriptiones, ac explicationes, quae passim occurrunt, attendamus (q), non ARISTOTELI (r), LVCIANO (s), et PLVTARCHO (t), solum fidem facile habebimus, qui,

(m) In *Animaduersionibus* in ATHENAEI *Dipnosophist.* L. XIII. Cap. VII. (n) In *Comparatione* PINDARI et HORATII, quae extat in JANI BERKELII *Dissertationibus selectis criticis de poetis Graecis et Latinis*, p. 303. sequ. (o) In *notis ad hunc ATHENAEI locum.* (p) Conf. SVIDAS *sub uoce Νῆμος*, et quae CHRISTIANVS BRVNINGIUS in *Compend. Antiquit. Graec.* Cap. III. §. 10. not. b. disseruit. (q) Conf. ATHENAEVS l. c. L. XIII. p. 618, sequ. et p. 629, sequ. et LVCIANVS in *Dialogo de Saltatione.* (r) De *Poëtica*: Οἱ δεχνησαὶ διὰ τῶν χηματιζομένων εὐθμῶν μιμνῆται καὶ ἦθη, καὶ πάθη, καὶ πράξεις. (s) In *Dialogo de Saltatione*, §. 62. de saltatore: Ἐπεὶ δὲ μιμητικὸς ἐστὶ, καὶ κινήσας τὰ ἀδόμενα δεῖξεν ὑπεκνεῖται ἀναγνώσων αὐτῶ, ὅπερ καὶ τοῖς ἑήτοσι, σαφῆρευαι ἀσκήν,

qui, omnem *Graecorum* saltationem in imitatione rerum gestarum positam fuisse, tradunt, sed et, ipso *modorum Apostolicorum* nomine moniti, iisdem aliquam rem *Graecos* repraesentasse, intelligemus. Sed quamnam? Eam sane, quam saltando imitari *Graeci* potuerunt, et nominis significatio admittit. Quamuis igitur *Apostolus* legatum quoque significet, nihil tamen memoratu digni de legationibus prisca tradunt monumenta, quod saltatum tam suave spectaculum praeberet, ut inter optimos modos ab ATHENAEO referri potuisset. Tribuamus contra huic uoci petitas e re nautica *Atheniensium* significationes, et simul in memoriam reuocemus sacra littoralia, exstructas aras, caesas uictimas, preces, canusque, quibus supplicabatur diis, uota pro felici navigatione nuncupata, discedentium ac relinquendorum salutationes mutuas, lustrationem, auspicia, omnia, aliosque ritus conscendentium classem, ancorasque soluentium, aut iacentium (u), nec quisquam amplius dubitabit, in re nautica, classiumque apparatu, *Graecorum* multa occurrere saltationi accommodatissima, quae ab imitatione rituum classem conscendentium, et expeditionem maritimam suscipientium, aut etiam inde redeuntium, *modi Apostolici* nomen sortiri potuerit.

Acce-

ως ἕκαστον τῶν δεικνυμένων ὑπ' αὐτῆ δὴ λέξαι, μηδένος ἐξηγητῆ δεόμενοι. Item *sf. 65, de saltatione: ἡ δὲ πλείστη διατριβὴ καὶ ὁ σκοπὸς τῆς δεχητικῆς ἢ ὑπέκτισις' ἐστ.* (t) In *ultima Quaest. Sympos.* uocat *salutationem σιωπῶσαν πόσην*, et contra *ρῶσιν φθεγγομένην ὄρχησιν*, (u) Conferatur de his omnibus IOANNES SCHEFFERVS *de Milit. Naut. Veter. L. III. Cap. I, et III, et in Addendis, p. 326, 335, sequ.* et de illustri horum fere omnium rituum exemplo ARRIANVS *de Expeditione Alexandri M. L. VI, Cap. III. edit, GRONOVII, p. 237, sequ.*

Accedit, quod aliae salutationes nauticae, *Celeustes* (x), et *Mothon* (y), satis superque probent, *Graecos* rem nauticam imitationi saltationis idoneam existimasse. Refert *ATHENAEVS* (z), saltatum olim esse ad sonum cuius saltationi conuenientium instrumentorum musicorum. Quid igitur propius accedit ad ueri similitudinem, quam in *modis* quoque *Apostolicis* eiusmodi concertus musicos adhibitos esse, quorum usus in re nautica, expeditionibusque maritimis, inualuerat? Nec tamen ab eiusmodi modis musicis abfuit cantilena. Fuit enim illa, si *LVCIANVM* audiamus (a), praecipuum saltationis, mores ritusque imitantis, ornamentum. Quod quidem mi-

(x) Τῆ κελευστῆ meminit *ATHENAEVS* l. c. p. 629, tanquam saltationis ad tibiam. (y) De *Mothone* non idem solum *ATHENAEVS*, l. c. p. 618, refert, quod cum saltatione cani consueuerit, sed et *IULIVS POLLVX* in *Onomast. L. III. Cap. XIII. Segm. 101. p. 407*, *Mothonem* uocat φορτικὸν ὄρχημα καὶ ναυτικόν, legique merentur, quae ad hunc locum monuit *IUNGIVS*. (z) Loc. cit. p. 631: Τὸ δὲ παλαιὸν ἐτηρεῖτο περὶ τὴν μεσοκίην τὸ καλὸν, καὶ παντ' εἶχε κατὰ τὴν τέχνην τὸν ἀικῶν αὐτοῖς κόσμον. Διόπερ ἦσαν ἴδιοι καθ' ἑκάστην ἀρμονίαν αὐλοὶ, καὶ ἐκάστοις αὐλητῶν ὑπῆρχον αὐλοὶ ἐκάστη ἀρμονίᾳ πρόσφοροι ἐν τοῖς ἀγῶσι. (a) In *Dialogo de Saltatione*, f. 30. Πάλαι μὲν γὰρ αὐτοὶ καὶ ἤδον καὶ ὠρχεῖντο· εἶτ' ἐπειδὴ κινεμένων τὸ ἄδμα τὴν ὠδὴν ἐπιταρατάττειν, ἀμενον ἐδοξεν ἄλλες αὐτοῖς ὑπάδειν. Ἐ f. 72: Πῶς ἐν ἑ παναρμονίον τι χεῖμα ἢ ὄρχησις, θήγασα μὲν τὴν ψυχὴν, ἀσκέσασα δὲ καὶ τὸ σῶμα, τρίψασα δὲ τὰς ἐρῶντας, διδάσκασα δὲ πολλὰ τῶν πάλαι ὑπ' αὐλοῖς καὶ κυμβάλοις, καὶ μελῶν εὐρυθμίᾳ, καὶ κηλήσει, διὰ τε ὀφθαλμῶν καὶ ἀκοῆς· Ἐἰ γὰρ Φωνῆς εὐμοιρίαν ζητεῖς, πῶς ἂν ἀλλαχόθι ἔυροις, ἢ ποῖον πολυφωνότερον ἄκασμα, ἢ ἐμμελέτερον; Ἐἰ τε αὐλὴ καὶ σύριγγος τὸ λεγυρύτερον, αὐλὴ καὶ τέτων ἐν ὄρχησει ἀπολαύσασί σοι πάρεσιν.

mirandum non est, quum ipsi poëtae talium saltationum et inuentores, et magistri, fuerint, ut qui in scholis suis utriusque sexus adolescentibus ad carmina sua saltare docuerunt (b). Quum igitur *modi Apostolici* ad eas imitationes saltatorias, quarum praecipuum ornamentum cantus fuit, sint referendi, quum a uirginibus saltatricibus, quae in saltandi studio ipsis poëtis magistris usae sunt, *uirginei* sint appellati (c), quum denique modorum elegantissimi habitus sint (d), eos *carminibus ueterum saltatis* (e) annumerare nulli dubitamus. His addamus, *Apostolicis modis*, ATHENAEO teste (f), non minorem elegantiam fuisse, quam *Prosodiacis*, quos uocum concentu eminentius nouimus (g), simulque attendamus nexum factae ab ATHENAEO *modorum Prosodiacorum et Apostolicorum* mentionis cum laude *Hyporchemisticae*, in qua chorus cantans saltabat (h), maiusque eo sententiae nostrae

B

strae

- (b) ATHENAEVS *l. c. p. 628*, haec tradit: Διὰ τῆτο γὰρ καὶ ἐξαρχῆς συνέταττον οἱ ποιηταὶ τοῖς ἐλευθέροις τὰς ἀρχαίους, καὶ ἐχρῶντο τοῖς σχήμασι σημείοις μόνον τῶν ἀδομένων, τηρῶντες αἰεὶ τὸ εὐγενὲς καὶ ἀνδραῖδες ἐπ' αὐτῶν, ὅθεν καὶ ὑπορχήματα τοιαῦτα προσηγόρευον. (c) Sic enim ATHENAEVS *l. c. p. 631*: Οὗτοι δὲ καὶ παρθένοι καλεῖνται. (d) En uerba ATHENAEI *p. 631*: Βέλτισοι δὲ εἰσι τῶν τρόπων. (e) Conf. OUIDIUS *Trist. l. II. u. 519*, & *l. V. Eleg. VII. u. 25*, et CASPAR BARTHIVS *ad STATII Thebaid. l. VII. u. 322, p. 469, sequi*. (f) *Loc. cit. p. 631*: Βέλτισοι δὲ εἰσι τῶν τρόπων, inquit, οἷσιν καὶ ἀρχῶνται. Ἐἰσὶ δὲ οἷδε προσωδιακοὶ, ἀποσολμοὶ. (g) Apud HESYCHIVM haec leguntur: Προσώδιον, ᾠδὴ Θεῶ ἕμνον περιέχουσα. Προσώδια, μετ' ἀργάνων ᾠδὴ. & apud SVIDAM sequentia: Προσώδια, τὰ εἰς ποιηγύρεσι Θεῶν ποιήματα παρὰ τῶν λυρικῶν λεγόμενα. Προσώδια ἕμνοι. Προσώδια καὶ προσώδιον, ὁ ἕμνος. Adde POLLUCEM, *Onomast. l. III. Cap. VIII. Segm. 64, p. 383*. (h) Nimirum nexus uerborum hic est *l. c. p. 631*: Ἐστὶν ὑπορχηματικὴ ἀρχαίσι ἀνδρῶν καὶ γυναικῶν. Βέλτισοι δὲ εἰσι τῶν τρόπων οἷσιν καὶ ἀρχῶνται. Ἐἰσὶ δὲ οἷδε προσωδιακοὶ, ἀποσολμοὶ.

strae accedere robur intelligemus. PLVTARCHI (i) uero testimonium, quod saltatoriae et poëticae artis arctissima coniunctio in illis carminibus sit, quae saltantibus accinuntur, nobis indicio est, tam cuiusuis saltati carminis argumentum ipsi saltationis generi accommodatissimum fuisse, quam *Apostolicorum modorum carmina* eandem ob causam non nisi de rebus ad nauticam rem, et in primis classem, spectantibus, de navigatione, de diis navigationis praesidibus, de factis nauigantium, de mari, de uentis, de tempestatibus, et his similibus, exposuisse. Differunt ergo *carmina Apostolica* maiorem in modum a *Celeusmate* (k), adhortamento remigum, et quouis incondito nautarum clamore. Differunt itidem a cantu instrumentorum musicorum naualium uocum concentu destituto. Sed et inter se uariis modis differre uidentur. Si enim, quam huic uoci uindicauimus, originem et significationem spectes, *carminum Apostolicorum* nomine tum illa carmina, quae statis temporibus in classe, modo sine instrumentorum musicorum concentu, modo cum illo, audita sunt, tum illa, quae sunt in sacris littoralibus a consensuris classem, uel etiam ad oram eandem feliciter appellentibus, cantata, tum illa, quae ad horum imitationem facta saltationi inseruierunt, tum illa, quae eorundem argumentum ita imitantur, ut, *Bucolica* pastorum, *Halieutica* piscatorum, *Georgica* rusticorum, alia aliorum, mores ac ritus, poterunt insigniri.

Ne-

(i) In *ultima Quaest. Sympos.* Ὁρχησικῆ δὲ καὶ ποιητικῆ κοινωνία πᾶσα καὶ μέθεξις ἀλλήλων ἐστὶ, καὶ μάλα μιμέμεναι περὶ τῶν ὑπορχημάτων γένος ἐνεργὸν ἀμφοτέρω τῆν διὰ τῶν σχημάτων καὶ τῶν ὀνομάτων μίμησιν ἀποτελεῖσι. (k) Conf. in primis JOANNES SCHEFFERS de *Milit. Naval. Veter.* L. III. Cap. I, et JOANNES WEITZIVS ad VALERII FLACCI *Argonaut.* L. I. u. 186, sequ. p. 26, sequ.

Neminem sacrarum litterarum, studiorumque eas illustrantium, amantem fugit, *Apostoli* uocem in diuinis quoque litteris saepius occurrere, et disputatum esse, quin adhuc disputari, quos sacer codex hoc titulo ornet? num eiusdem tituli explicatio ex antiquitate *Hebraeorum*, an *Graecorum*? et, si e *Graecorum*, a quamam huius *Graecae* uocis significatione, repetenda sit? Nec tantum nobis sumimus, ut maximorum uirorum de his rebus contentiones nostrae diiudicationi reseruatam putemus. Id tamen meminisse licebit, passim occurrentes in sacra scriptura loquendi formulas e re nautica petitas, quas e recentioribus prae ceteris annotauit et explicuit CHRISTIANVS BRVNINGIVS (1), studia sanctorum illorum uirorum, quos seruator optimus *Apostolorum* nomine distinxit, *expeditioni sacrae*, ut loqui amat HERMANNVS WITSIVS (m), similia reddere, *ab ipsis, tanquam legatis imperatoris Christi, ad insulas maris peractae, qua tot gentes, quae mari turbido ac sterili frequenter comparantur, perdomitae, ac regno Christi subiectae sunt.* Eos igitur uiros, qui in horum diuinorum uirorum locum successerunt, similiaque munia sibi demandata habent, *uiros Apostolicos* haud inique dixeris. In quibus autem illa munia clarius spectantur, quam in christianorum coetuum antistitibus? Si enim singulos christianorum coetus singulis nauibus assimiles, plures eorum classem efficient, cuius *Apostolum*, seu praefectum, uel certe *Epistolea*, seu legatum summi praefecti, antistes summus referet. Permite igitur, LOESCHERE CELEBERRIME, ut eo quoque, quo diximus, sensu, *FE*, tanquam APOSTOLVM, VIRVMque APOSTOLICVM, iam ueneremur, gratiamque

(1) Tum in *Dissert. de ancora spei ad Hebr. VI, 19*, quae extat in *Musei Bremensis Vol. II. P. II. Diss. V. p. 253, sequ.* tum in *Compend. Antiquitat. Graec. Cap. XI. toto.* (m) In *Meletemat. Leidens. in Praelect. de uita et rebus gestis Pauli Sect. II, f. 17, p. 30, sequ.*

QX 71 652

X 337 9243

XII


riamque diuinam et miremur, et celebremus, qua adiutam TE
per quinquaginta annos patria talem experta est. Hanc attestamus,
dum laudibus abstinemus, quas mereri, quam audire, ac legere,
satius putas, et, dum, emensus feliciter primum *Apostolici* mune-
ris cursum quinquagenarium, nouum ingrederis incolumis, TIBI
eo, quo decet, affectu *carmen* nostrum *Apostolicum* accinimus:

*Sic aequor peragrans imperiosus,
Sic fretus duce classis, patre siderum,
Sacrum dirige cursum,
Quo LOESCHERE, Deus iuber!*

*Decertans rapidis dux aquilonibus,
Et signans scopulos, monstraque tristia,
Nobis insidiosa,
Ne nobis noceant, uigil,*

*Vt uinas patriae, NOBILIBVS TVIS,
Vt nobis, uegetus corpore, menteque,
Grati rite precamur,
Quem TECUM colimus, Deum!*





B.I.G.

Farbkarte #13

Π i
652

EPHORO SVO MAGNIFICO
VIRO

SANCTITATE MVNERVM ET MERITORVM GRAVITATE
SVMME VENERABILI

DOMINO
VALENTINO ERNESTO
LOESCHERO

[SS. THEOLOGIAE DOCTORI CELEBERRIMO
SENATVS SANCTI QVI AVCTORITATE REGIAREBVS
CAVSSISQVE SACRIS PROVIDET PATRI CONSCRIPTO
SACRORVM QVAE DRESDAE ET IN AGRO ATTRIBVTO FIVNT
ITEMQVE SCHOLARVM ANTISTITI GRAVISSIMO]

MEMORIAM SAECVLAREM

ANTE QVINQVAGINTA ANNOS SVSCEPTI
MVNERIS PRAESVLIS SACRORVM

EA QVA DECEAT OBSERVANTIA
GRATVLANTVR
PAVCA QVAEDAM
DE

APOSTOLIS ET CARMINIBVS
APOSTOLICIS

EX ANTIQVITATE GRAECA
PRAEFATI

COLLEGAE SCHOLAE SENATORIAE
NOVAE VRBIS PROPE DRES DAM.

DRESDAE IN OFFICINA HARPETERIANA

